

30. Deinde si habeat Chrisma, liniat eum in vertice, dicens: Deus omnipotens, etc. ut supra, pag. 17.

Postea dat ei linteolum candidum, dicens: Accipe vestem, etc. ut supra, pag. 17.

Ac demum dat ei ceream candelam accensam, dicens: Accipe lâmpadem ardentem, ut supra, pag. 17.

Si supervixerit, suppleantur alii ritus omissi.

31. Admonendi sunt Susceptores de spirituali cognatione, quam contraxerunt cum Baptizato, Baptizatique patre et matre; quæ cognatio impedit Matrimonium, ac dirimit.

32. Curet Parochus parentes infantis admoneri, ne in lecto secum ipsi, vel nutrices parvulum habeant, propter oppressionis periculum; sed eum diligenter custodiant, et opportune ad Christianam disciplinam instituunt.

33. Commonendi sunt etiam parentes, et alii, si opus fuerit, ne filios hebræis, aliisque infidelibus, vel hæreticis mulieribus ullo modo lactandos, aut nutriendos tradant.

34. Antequam infans ex Ecclesia asportetur, aut Susceptores discedant, eorum nomina, et alia de administrato Baptismo ad præscriptam formam in Baptismali libro Parochus accurate describat.

CAPUT 3.

DE BAPTISMO ADULTORUM.

Siquis adultus sit baptizandus, debet prius, secundum Apostolicam regulam, in Christiana fide, ac sanctis moribus diligenter instrui, et per aliquot dies in operibus pietatis exerceri, ejusque voluntas et propositum sæpius explorari, et nonnisi sciens et volens, probeque instructus baptizari.

2. At vero si quis, dum instruitur, in mortis periculum incidat, baptizarique voluerit, habita ratione periculi, vel necessitatis, baptizetur.

3. Adultorum Baptismus, ubi commode fieri potest, ad Episcopum deferatur, ut si illi placuerit, ab eo solemniter conferatur, alioquin Parochus ipse baptizet, stata cæremonia.

4. Decet autem hujusmodi Baptismum, ex Apostolico instituto, in Sabbato sancto Paschatis, vel Pentecostes solemniter celebrari.

5. Quare si circa hæc tempora Catechumeni sint baptizandi, in ipsos dies, si nihil impediatur, Baptismum differri convenit.

6. Verum si circa, seu post tempus Pentecostes aliqui conversi fuerint, qui ægre ferant suum Baptismum in longum tempus

differri, et ad illud festinent, instructique, ac rite parati esse noscantur, citius baptizari possunt.

7. Catechumenus instructus baptizetur in Ecclesia, seu Baptisterio, Patrinus ei assistat, et ipse Catechumenus ad Sacerdotis interrogationes respondeat, nisi mutus fuerit, aut omnino surdus, vel ignotæ linguæ; quo casu vel per Patrinum, si illam intelligat, aut alium interpretem, vel nutu, consensum explicet suum.

8. Pro hujus autem veneratione Sacramenti, tam Sacerdotem, qui adultos baptizabit, quam ipsos adultos, qui sani sunt, convenit esse jejunos.

9. Quare non post epulas, aut prandia, sed ante meridiem (nisi ex rationabili causa aliter faciendum esset) eorum Baptisma celebretur.

10. Admonendus est Catechumenus, ut peccatorum suorum pœniteat.

11. Amentes et furiosi non baptizentur, nisi tales a nativitate fuerint: tunc enim de iis idem iudicium faciendum est, quod de infantibus, atque in fide Ecclesiæ baptizari possunt.

12. Sed si dilucida habeant intervalla, dum mentis compotes sunt, baptizentur, si velint. Si vero antequam insanirent, suscipiendi Baptismi desiderium ostenderint, ac vitæ periculum immineat, etiamsi non sint compotes mentis, baptizentur.

13. Idemque dicendum est de eo, qui lethargo, aut phrenesi laborat, ut tantum vigilans et intelligens baptizetur; nisi periculum mortis impendeat, si in eo prius apparuerit Baptismi desiderium.

14. Sacerdos diligenter curet, ut certior fiat de statu et conditione eorum, qui baptizari petunt, præsertim exterorum: de quibus facta diligenti inquisitione, num alias, ac rite sint baptizati, caveat, ne quis jam baptizatus, imperitia, vel errore, aut ad quæstum, vel ob aliam causam, fraude, dolove iterum baptizari velit.

15. Omnes autem, de quibus, re diligenter investigata, probabilis dubitatio est, an baptizati fuerint, si nihil aliud impediatur, sub conditione baptizentur.

16. Hæretici vero ad Catholicam Ecclesiam venientes, in quorum Baptismo debita forma, aut materia servata non est, rite baptizandi sunt; sed prius errorum suorum pravitatem agnoscant et detestentur, et in fide Catholica diligenter instruuntur: ubi vero debita forma et materia servata est, omissa tantum suppleantur, nisi rationabili de causa aliter Episcopo videatur.

17. Ceterum legantur, et servantur ea, quæ supra de Baptismo in communi præscripta sunt, cap. 1.